

CONSTITUTIONES, IN CONGREGATIONE GENERALI, UNIVERSITATIS DOMINORUM & NOBILIIUM REGNI SCLAVONIAE,

Pro festo Epiphaniarum Domini, Anno ejusdem 1538. CRISII celebrata, editae.

*Contributio Regi oblata.*

Articulus 1.

Inprimis, obtulimus Sacratissimae Regiae Majestati, Domino Nostro Gratosissimo, subsidium duorum florenorum per anni circulum, in duobus terminis, de omnium bonis persolvendis:

§. 1. Ita, ut si Majestati Suae visum fuerit, faciat denuo Regnum dicari, et in ipsa dicatione illi inordinati liberi, qui hactenus eximi solebant (demptis Villicis ac Praeconibus, illisque, qui in domibus, allodiis, et Curiis Dominorum Nobilitaribus, ac Nobilium, residentiam faciunt) pro liberis et exemptis, minime serventur.

§. 2 Rustici etiam, non habentes bona sex florenos valentia; ne dicentur.

§. 3. Media autem pars illius subsidii, hoc est; unus florenus, ubique, statim postquam dicatione honorum quorumcunque facta fuerit; decimo quinto die immediate sequenti, ad manus exactorum debeat administrari.

§. 4. Praeterito autem ipso decimo quinto die, mox Domini Bani, ad exigendum ipsum subsidium, more solito Spanos extramittere possint.

§. 5. Alter vero florenus, penes eandem dicationem, ad festum Pentecostes nunc venturum solvi debeat et administrari.

*Exercitatio Sclavorum.*

Articulus 2.

Unusquisque Dominorum, ac Nobilium, de singulis triginta sex Jobagionibus, seu fumis, juxta praemissam dicationem numeratis, pro custodia, et tuitione Regni; singulum unum equitem bene armatum, galeatum, lorcatum, clypeatum et hastatum, per integri anni revolutionem, in confinibus penes Capitaneum Regni (ubi Domini Bani jusserint) continuo conservare debeant et teneantur.

§. 1. In conservatione autem hujusmodi equitum, nec Domini Bani, aut Vice-Bani, nec Magister Proto-Notarius, aut Judices Nobilium, nec alii cujusvis status, et conditionis homines, atque officiales, exempti esse valeant.

*Magnatum et Dominorum in bellum profectio.*

Articulus 3.

Omnes etiam Domini Magnates; et ipsi quoque Domini, qui Banderia propria levare non sunt soliti; gentes hujuscemodi de bonis eorum dari debendas, sub Capitaneum Regni dari debeant et teneantur.